



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 60. Elisabethæ fœdus cum Franciæ Calvinistis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

dedit; diu enim hanc sententiam revo-
cari adlaborabat: Catharina vero tan-
dem in carcere contabuit: quod autem
Harfordiæ Comitem tanquam verum
suum Maritum agnosceret, luculento
comprobabat argumento, dum morti
proxima a Regina veniam peti volue-
rit, eoquod absque ejus consensu nu-
ptias iniisset.

§. LX.

*Elisabethæ fœdus cum Franciæ Cal-
vinistis.*

Verum Elisabethæ longe majus peri-
culum impendebat a Scotis, quo-
rum Reginam potissimi tuebantur ami-
ci, qui opportunam eidem Angliæ re-
gnum afferendi occasionem avide præ-
stolabantur: cum autem Elisabetha pro-
comperto haberet, quod cuncta hæc
consilia a Guisio Duce agitarentur, is-
que vehementer desideraret, ut Galli
Religione Catholici sua arma in Norma-
niam circumferrent, hacque ratione
Angliæ Regno, in quod copias ad
consilium suum feliciter exequendum
introducere moliebatur, viciniores essent:
eapropter Elisabetha cum Carnotensi
Præfecto, quem Condæus Princeps ad
eam ablegabat, armoram societatem
init, vi cuius Regina spondebat, quod
Hugonottarum Principibus præter cen-

Yy 2 *anno 1562 tum*



Sæcul. XVI. tum aureorum millia etiam sex pedi-
A.C. 1562. tum millia suppetias mittere velit, ea

tamen lege, ut tria horum millia ad propugnandam Dieppam, & Rothomagum adhiberentur, reliqua autem tria millia tanquam præfidiarii Portu-Gratiæ imponerentur; hujus enim urbis possessionem Calvinistæ afferebant Reginæ, eo jure, ut illam usurparet, donec eidem Caletum redderetur: porro hac agendi ratione Elisabetha sibi persuadet, quod continuato in Galliis bello Guiius Dux sopiendis hisce flammis intentus quicquam contra Anglos moliri præpediretur: verum illa sex Anglorum millia, dum exeunte Mense Septembri advenerant, Rothomagum jam a Catholicis obfessum intellexerunt, quapropter in duo dividebantur agmina, quorum unum Dieppam ingrediebatur, alterum vero Portum-Gratiæ occupabat, cuius urbis Præfectus nominabatur Varicensis Comes Angli ex exercitus Bellidux: attamen ob Rothomagi expugnationem, Navarræ Regis obitum, & Droense prælium vix non omnia Reginæ consilia in irritum cœcidere.

§. LXI.